



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt nullus episcopus alterius parochianum retinere præsumat. xxxix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Ut nullus episcopus alterius parochianum retinere  
presumat. Cap. XXXIX.*

**N**ullus episcopus alterius parochianum presumat retinere aut ordinare absque eius voluntate, vel iudicare: quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio, quoniam nisi censemus nullum alterius iudicis, nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus potest.

*Ex decret.  
Adria.  
pap. c. 15*

*Ut ab alieno episcopo ordinatus in clero non maneat.*

*Caput XL.*

**O**rdinatus clericus ab alio episcopo non deprecante vel consentiente suo, in clero non maneat.

*Ex concil.  
Mogunti.  
cap. 4.*

*De quodam episcopo qui alterius episcopi clericum eo nolente ordinauerat. Cap. XLI.*

**E**pigonius episcopus dixit: In multis conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum est a vestra prudentia fratres beatissimi, ut clericum alienum nullus sibi praecripat episcopus, praeter eius arbitrium cuius fuerit clericus. Dico autem Iulianum, qui ingratus est Dei beneficiis per meam paruitatem in se collatis, ita temerarium & audacem extitisse, ut eum qui a me baptizatus est, quum esset puer egentissimus, mihi ab eodem commendatus, quumq; multis annis a me aleretur, atq; cresceret, hunc, ut dixi, baptizatum esse in Ecclesia mea per manum paruitatis meae constat: idem in diocesi Mepalicensi lector esse coeperat, imo annis ferme duobus legerat, nam nescio quo contemptu immanissimo idem Iulianus eum arripuit, quem dicitur quasi proprium ciuem sui loci Vazaritani me inconsulto usurpare. Nam & diaconem illum ordinavit. Hoc si liceat, pateat haec licentia a vobis beatissimi fratres. Sin minus: tam impudens cohibeatur, ne se misceat communioni cuiusquam. Numidius episcopus dixit: Si non postulata neque consulta tua dignatione id videtur fecisse Iulianus, iudicamus omnes iniquum factum, atque indignum. Quapropter nisi idem Iulianus correxerit errorem suum, & cum satisfactione eundem clericum, quem fuerat ausus ordinare, reuocauerit tuae plebi, contra statuta concilij faciens, contumaciae suae separatus a nobis excipiet iudicium. Epigonius episcopus dixit: Aetate pater, & ipsa promotione antiquissimus, vir laudabilis, frater & collega noster Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici.

*Ex concil.  
Africa.  
cap. 42.*